

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1292

**Auteur(s) :** Bayeux (official)

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1271, 5 décembre

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Marie, femme de Raoul dit Pellevé, jure devant le mandataire de l'official de Bayeux qu'elle ne réclamera rien, à raison de dot, etc., sur la cession et la vente faites par son mari au chapitre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DXVIII, t. 2, p. 264-265.

Texte établi d'après a

Universis præsentes litteras inspecturis, officialis Baiocensis, salutem in Domino. Noveritis quod Maria, uxor Radulphi dicti Pelleve, armigeri, de parrochia Sancti Georgii versus Alnetum, constituta in præsentia Roberti de Valle, clerici curiæ nostræ jurati ad ipsam Mariam, tanta debilitate sui corporis detentam quod ad nos accedere personaliter non poterat, ut publice dicebatur, ad hoc a nobis specialiter destinati, præsentibus hiis, videlicet, domino Guerrico de Bantellu, canonico, et Roberto dicto Fouee, vicario ecclesiae Baiocensis, Vitali de Quirie, Roberto Symonis, Thomæ Symonis, Ricardo Vitalis, Guilleberto de Villariis, Guillermo dicto Anigne, et Johanne de Sauques de dicta parrochia, præsente etiam dicto Radulpho et eidem Mariæ, uxori suæ, auctoritatem præstante, juravit coram dicto clerico, tactis sacrosanctis evangeliis, spontanea non coacta, quod ipsa, ratione dotis, dotalicii, donationis propter nuptias, maritagii, hæreditagii, seu alia de causa, per se vel per alium de cetero non veniet contra cessionem et dimissionem quas dictus Radulphus, de assensu dictæ Mariæ, uxoris suæ, fecit capitulo Baiocensis ecclesiae de omnibus decimis quas idem Radulphus habebat et tenebat in parrochia Sancti Georgii supradicti, in territorio de Sauques, sicut se extendit in longum et latum, nec contra venditionem quam dictus Radulphus fecit, similiter de assensu dictæ Mariæ, uxoris suæ, dicto capitulo de omnibus reddibus et juribus quos et quæ Garinus Fouquet et hæredes ipsius reddebant annuatim et facere tenebantur dicto Radulpho, ratione cuiusdam vavassoriæ quam dictus Garinus vel ejus hæredes tenebant, apud Sauques, de dicto Radulpho, una cum homagio dicti Garini, pro septies viginti et decem libris Turonensibus, de quibus dicti Radulphi et Maria se tenuerunt, coram dicto clerico, penitus pro pagatis. Voluit autem et concessit dicta Maria quod, si ipsam contra præmissa aliquo modo venire contingerit, quod nos ipsam, nulla monitione præmissa, excommunicemus et faciamus excommunicatam publice nunciari, et ei, in quolibet foro, omnem audienciam denegari. Quæ predicta dictus clericus nobis retulit viva voce : cui fidem in ipsis duximus adhibendam. Et in hujus rei testimonium, sigillum curiæ Baiocensis duximus præsentibus apponendum. Valet. Datum et actum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, die sabbati ante festum beati Nicholai hyemale.